MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III: 1.5. 1.7.)
Melk, 1458 Seite 261r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift



Cum uenisset paulus romam: conuenerunt ad eum omnes iudei dicentes. Nram fidem in qua natus es ipsam defende.

Non est enim iustum. ut cum sis hebreus ex hebreis ueniens gentium te magistrum iudices: et in circumcisorum defensor factus cum sis circumcisus. fidem circumcisionis euacues. Cum ergo petrum uideas. surge contra eius doctrinam. quia omnem obseruacionem nre legis euacuauit. exclusit sabbata et neomenyas. et legitimas ferias exinaniuit. Quibus respondit paulus. Me iudeum esse et uerum iudeum hinc poteritis probare: cum et sabbatum obseruare. et circumcisionem potueritis uere aduertere. Nam sabbato die requieuit ab omnibus operibus deus. Nos habemus patres et patriarchas et legem: quid tale predicat petrus in regno gentium: Sed et si forte aliquam uult introducere nouam doctrinam. sine contrarietate et sine inuidia et sine strepitu nunciate ei ut nos uideamus: et in uro conspectu ego illum conuincam. Quod si forte eius doctrina fuit uero testimonio et hebreorum libris munita. decet nos et omnes obedire ei. Hec et his similia dicente paulo: perrexerunt iudei ad petrum. et dixerunt ei. Paulus ex hebreis ueniens rogat te ut uenias ad eum: quomodo hi qui eum adduxerunt dicunt non posse dimittere: ut quem uult uideat. antequam eum cesari insinuent. Audiens hec petrus: gaudio gauisus est magno. Et statim exurgens perrexit ad eum. Videntes autem se pre gaudio fleuerunt. et in amplexibus suis diutissime morati. inuicem se lacrimis infuderunt. Cumque paulus illi omnem textum suorum casuum indicasset: et qualiter nauigii fatigacionibus aduenisset: et petrus dixisset illi quas symonis magi pateret insidias. abscessit petrus aduesperum. mane die altero reuersurus. Cumque aurora diei daret initium: ecce petrus aduenens inuenit multitudinem iudeorum ante fores pauli. Erat autem inter iudeos et xpianos et gentiles infinita contrarietas. Iudei enim dicebant Nos genus electum. regale sacerdocium. amicorum dei abraham. ysaac et iacob. et omnium prophetarum cum quibus locutus est. et quibus ostendit secreta sua: uos autem ex gentibus nichil in semine uro magnum. nisi in ydolis et sculptilibus inquinati execrabiles extitistis. Hec et his similia dicentibus iudeis. gentes respondebant dicentes. Nos mox ut audiuimus ueritatem: reliquimus errores nros. et secuti eam sumus. Uos autem et patrias uirtutes scitis. et prophetarum signa uidistis. et legem accepistis. et mare pedibus transistis. et inimicos uros dimersos uidistis: et columna nubis per diem in celo apparuit et ignis per noctem: et manna uobis de celo datum est. et de petra uobis aque fluxerunt: et post hec omnia ydolum uobis fabricastis uitulum. et adorastis sculptile: nos autem nulla signa uidentes credimus hunc deum: quem uos non